

6.

SUMMOS IN UTROQUE  
JURE HONORES

V I R O

NOBILISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO,

DN.

CASPARI CHRISTIA-  
NO Seligmann

ZITTANO,

post exuperatas viarum molestias  
ipsò Petri Pauli die Anno 1678.

abs

THEMIDE ALTDORFINA INCLUTA  
COLLATOS


gratulantur Eidem Lipsiæ

PATRONI FAUTORES  
ATQVE FRATER.

---

L I P S I Æ,

Literis CHRISTIANI SCHOLVINI.



AD NOBILIS.

DN. SELIGMANNUM,

Auditorem olim, jam Amicum  
Meum pl. Dilectum,

**I**N terras alias pridem qvi Doctus abibas,  
In Patriam Doctor, jure favente, redis.  
Gratulor, atqve virum Patriæ Te sisto Beatum,  
Optoqve, sit curis ipsa Beata Tuis!

L. VAL. ALBERTI, P.P.

---

**O** TE BEATUM, filiumqve Gallinæ  
Rarum albicantis, ter trium Camenarum  
Dicesqve sanctæ summa qvi supergressus,  
Præterqve scyllas mille, mille Sirenes  
Vectus, paternos sospes atqve honoratus  
Lares salutas, Præsidesqve Zittanos!  
Et ô BEATAM Patriam, salutare  
Cui surgit astrum jam suo in SELIGMANNO,  
HARTIGIIS ac JENTSCHIIS coævandum  
Olim, atqve grandes Publicæ Rei fructûs  
Certò daturum! Scilicet SELIGMANNUM,

Suum

Suum BEABIT Patria, Urbium gemma,  
Suam & vicissim Patriam SELIGMANNUS.

Ita Nobilissimo Dn. D. SELIGMANNO suo quon-  
dam Auditori, nunc Fautori æstimatissimo de fe-  
lici in Patriam reditu, vel Patriæ potius de recepto  
feliciter nobilissimo hoc pignore gratulabatur  
Lipsiæ

L. JOACHIMUS FELLERUS, Poët. P. P.  
& Acad. Bibliothecarius.

---

**D**Um me ZITTA vocat, Tua poscit laurea carmen,  
Rectorisqve cupis DOCTOR habere metrum.  
Scis quid conjiciam? referet Tibi ZITTA brabeum,  
Sive Senator eris, seu quoque Consul eris.  
Sic mihi post seros Tua lux affulserit annos  
Ac dederis nostræ, quod vovet ipsa, Scholæ.  
Forte Tuus Natum cernet Pater esse BEATUM,  
Atqve ego tam solidâ laude BEATUS ero.

Inter medios itineris strepitus Lipsiæ hæc relinquere  
voluit, abiturus ad Rectoratum Gymnasii  
Zittaviensis

CHRISTIANUS Weise.

---

**S**iccine te reddit Themis Altorfina Beatum,  
Nonne olim felix, nonne Beatus eras?  
Dictus es omninò felix, felicior autem  
Nunc es dicendus, Te quia jura beant.  
Nunc quoque causarum sis felicissimus, opto,  
Patronus; Sic bis terqve beatus eris.

Collegæ quondam perindustrio  
sic applaudebat

ANDREAS MYLIUS, J. U. Licentiandus.

DOCTOR

**D**OCTOR es, & summò THEMIDOS splendescis honore,  
Qvi studii, FRATER, meta, viæqve fuit.  
Ergo redi, ac PATRIÆ vicinior esse Patriqve  
Perge, Tui ut fructus experiare sc opi.  
Ipse DEUS, Ductor rerum Fautorqve Tuarum,  
Te non destituet; Cœlitus auctus eris.  
Et, qveis arrisit Labor, atqve Cupido videndi  
Extera, prosperitas qvò Tua crescat, agent.  
Evenient, qvæcunqve voles. Majora precarer;  
Ista sed obtingant, ipse BEATUS ero.

Invitâ qvidem hæc Minervâ at animò tamen, qvem  
nôsti, FRATER mellitissime, Tui amantissimò  
subjunxi, ut boni consulas,  
rogitans

**M. Gottlob Friedrich Seligmann.**



ANDREAS MYLIS, J. U. Licentiaudus  
DOCTOR